

*sine realibus essentiis, sed essentiæ reales non sine Numeris, in intellectu comparent.* Sed extra mentem ne quidem Numeri sine realibus essentiis, nedum essentiæ reales absque numeris, unquam existunt, & proinde Materia seu partes corporis, si realiter existere velint, non nisi sub aliquo modo sese præsentare possunt.

§. 3. Interim certum est, remotâ certâ formâ corporis, ad minimam *aliquid nihili*, nempe nihil istius formæ remotæ, resultare, quod Nihil, præter & quasi juxta materiam, in intellectu cogitantis remanere, dici potest; quin etiam extra mentem in ipso corpore, cui forma certa non inest (dum aliâ quâdam pollet) Nihilum illius certæ formæ, quâ care, quasi realiter inveniri constat, ut in ligno Nihil formæ lapidis, vel potius nulla forma lapidis, invenitur. Quod ipsum quidem absentis formæ nihilum reale vulgò PRIVATIO dici, nec minùs inter principia corporis (nempe cognitionis; aut cognoscendi corporis) ac materia vel forma, referri consuevit.

§. 4. Et sanè, sicut ipsa forma præsens in corpore, præter positivam sui rationem, semper etiam aliquid negationis secum habet, ipsa namque forma materiam *hoc non alio modo dispositam* sistit, ipsumque corpus non tantum ut *tale*; sed & ut *non aliud quid*, esse facit, in qua negatione potissima vis distinctiva consistit: ita quisque statim inde perspicit, quod quasi partem alteram formæ præsentis ipsa concomitans Privatio formarum aliarum faciat; imò quod ad Substantiam Corporis distinctè nobis innuendam utraque pars ferè paria præstet. Neque enim altera pars, quæ positiva dicitur, ultra materiam, corpori quicquam substantiæ confert, quod hæc, ut privativa, præstare nequeat: cum utraque pars ipsi materiæ, tanquam genuinæ substantiæ, nihil nisi modum (seorsim existere non potentem;) nempe sitûs & motûs habitudinem & quantitatem, inferat.

§. 5. Qui tamen modus, quatenus ut certus & definitus concipitur, quia *mutabilis* est, & vel materiæ tanquam substantiæ conciliari; vel, si jam in eâdem fuerit, mox destrui, quasi removeri, reipsâ potest: igitur vulgò modus ipse pro parte substantivâ corporis habetur, quam aliunde velut allatam infundere corpori liceat, & aliorsum transferendam ex corpore vicissim extrahere contingat: cum tamen modus corporis nudi nihil aliud sit, quàm habitudo dispositi-

E

siti-